

Z
1788, 2.
14

DISSERTATIO IN AVGVRALIS CANONICO,
IVRIDICA

DE
**SVCCSSIONE MONIALIS
IN HEREDITATEM PATER-
NAM MONASTERIO
SVPPRESSO**

R. 365
Q V A M
VNA CVM COROLLARIIS EX
VNIVERSO IVRE

INVLTV
ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA
ERFVRTENSI

PRO GRADV DOCTORIS
EIDEMQVE ADNEXIS PRIVILEGIIS ET HONORIBVS RITE
CAPESSENDIS

DIE XVI. AVGUST. MDCCCLXXXVIII.

ABSQVE PRAESIDE
PVBLICE TVERBITVR

**FRANCISCVS GODEFRIDVS
WÜRSCHMITT**

EICHSFELDIACO HEILIGENSTADIANVS,
PAROCHVS IN LOERZWEIL, INSIGNIS ECCLESIAE COLLEGIATAE AD
SS. VICTOREM ET MAVRITIVM MOGUNTIAE CANONICVS.

ERFORDIAE
EITERIS HENRICI RUDOLPHI NONNII, ACAD. A TYPIS.



DISSESTITATO. IVAGARALIS CANNONIO.

IVANUS

DE

SACCHASIONE MONASTIS
MAGISTER PATER
IVANUS IVANUS

IVANUS GOROLVANS EX
CARTOGRAPHE

Autor Dissertationis,

De successione monialis in hereditatem paternam
monasterio suppresso

quem defendit Berninus Godfridus Wisschmitz Erfordie 16 Aug 1788
est

Iosephus Mathias Rossmann jurisconsultus Reutor publicus.
qui et Canonicum Wisschmitz per annum ad denitionem preparavit.
magistratio in lectionibus et examinatoreis curata.



DE

SUCCESSIONE MONIALIS IN HEREDITATEM PATERNAM MONASTERIO
SVPPRESSO,

S. I.

Monasteriorum suppressio hoc aevu nostro ita est perfre-
quens, ut minime operam suam perdere videatur, qui
quaestionem dirimere veit: an monasterio suppresso jura
monachi ad hereditatem paternam revalescant omnia, num
eliqua tantum, & quænam illa sint? non enim monacho-

A

1128

rum tantum interest de his juribus quæri probe, sed singu-
lorum civium, quorum e familiis se quis in monasterium
recepit, si forte id ipsum quoque monasterium supprime-
retur. Agitur enim tum de familiae bonis, eorumque pos-
sessione, an illa tribuenda sint monacho suppressi monaste-
rii, num salva esse debeat possessio vetus? neque a tribu-
nalibus absuere litigia, in quibus id genus causæ actæ fuere.
Quare ad credendum adducor, propositam mihi esse rem
disceptatione dignam in disputatione hac academica, quam
an argumentis meis exhauserim, an eliserim, quæ adserun-
tur in contrarium, judicio sapientum permitto, quibus hu-
manitatis, & religionis jura æque cordi sunt,

§. II.

Propositum autem mihi potissimum est differere de
moniali, quæ, aliquo a suppresso monasterio suo tempore,
votis suis soluta fuit, an petere possit portionem heredita-
tis paternæ, patre quidem post suppressionem monasterii,
sed ante, quam votis eximeretur, mortuo, neque illam he-
redem scribente, quoniam voto paupertatis obnoxiam, he-
reditatis incapacem judicavit. Quæstione posita, dicen-
dum de causa, cur incapacem hereditatis pater judicaverit,
tum de consequentibus hanc causam, quod illam testamen-

to

3

to suo heredem non nuncupaverit; causa autem sita est
in voto paupertatis ab illa pronuntiato; quam ob rem ut
reste decidi proposita quæstio possit, inquirendum est pri-
mum: an suppresso monasterio aboleantur simul vota,
num adiū speciali sit opus, quo illa soluantur? deinde: an,
& quæ adsignanda sit portio hereditatis moniali post sup-
pressum monasterium votis solutæ?

CAPVT I.

AN SVPPRESSO MONASTERIO ABOLEANTVR SIMVL
VOTA, NVM ACTV SPECIALI OPVS SIT,
QVO SOLVANTVR?

III.

Antequam ad quæstionis decisionem progrediar præ-
mittenda quedam sunt de votis in genere; quodsi enim
probari possit, monialem emisisse vota aut vi coactam, aut
metu perculsam, aut dolo circumventam, nemo in dubium
vocabit, illa omni effectu carere. Votum est promissio li-
bera de bono meliore; vi autem extorta, vel dolo elicita,
neque libera, neque omnino promissio est, non enim suo,
sed aliorum arbitrio promisit, adeoque quod promisit, pro-
missi vires non habet, nulloque se jure suo abdicavit. Mo-

A 2

nialis,

mialis itaque eiusmodi monasterio egressa, & libertati redita jure sibi vindicat, quascunque hereditatis portiones capere ab intestato potuisset, vota quippe, quibus illarum aditio præclusa sibi fuit, se ipsis irrita sunt.

§. IV.

Verum, si nihil desit votis, quo minus illa valeant, ordo autem universus extinguitur, anne & tum abolita esse vota putemus? omnino, suppresso enim ordine vota quoque supprimi debent, quæ ille imposuit, & sive vota spelemus ut partem constituentem, sive ut finem ordinis: sublato toto singulæ etiam partes tolluntur, destructisque mediis ad finem consequendum necessariis, quæ sita sunt in præceptis & constitutionibus ordinis, finis suæ natura cefsat. Quod ipsum in universum valuit extincto Ordine Jesuitarum, & Pontifex sapientissimus Clemens Ganganellius in sua de extinctione hac constitutione sancivit. Hujus igitur ordinis professi, ordine suppresso votis omnibus soluti erant, manente illis continentiae obligatione ab ordine solo vel Sub-vel Diaconatus & Presbyterii. Etsane, redditi Reipublicæ, quibus aliis legibus subessent nisi communibus omnium ciuium? quem alium, quam hi omnes, Principem haberent? quid illos juvaret votum paupertatis restitutos communi homi-

num

num statu, quem mille vita humanae necessitates am-
biant?

S. V.

Quousque autem solutionis ejusmodi se vis extendat,
id nunc accuratius dispiciendum. Non enim illa pretendi
potest in has hereditatis portiones, quæ ordine existente
devolvi in religiosos poterant, valebant enim tum vota, &
renunciatio votis facta. Qui igitur tum temporis honorum
ejusmodi possessionem capiebant, plenum quoque in illa
ius adipiscabantur, quod facto novo emergente, nulli tum
hominam suspecto convelli neutquam potest. Sed si or-
dine extinto vacue linquuntur id generis hereditatum por-
tiones, optimo illas jure petunt, quoniam religiosi votis so-
luti reliquorum civium jura consequuntur. Hæc quoque
fuit sententia tribunalium Moguntinorum in causis Exjefci-
tarum Falkensteinii, & Lakii, quibus hereditates, ordine
suppresso in illos devolutas per suffragia judicium attributa
fuere.

S. VI.

Nisi autem ordo universus, sed singulare tantum mo-
nasterium supprimatur, querendum est, an sit ejusmodi,

A 3

ut

ut pro arbitrio superiorum mutare domicilia religiosi debeat, sicut Franciscani, num fixam ex instituto suo ibi sedem habuerat? si primum: suppresso monasterio vota solvi dici nequit, nisi absolutio specialis accedat; non enim hac ratione emiserunt, ut hac in diœcesi aut singulari hoc in monasterio, veram, ut hoc in ordine, qua late se ejus provincia extendit, vitam agerent: ad aliud ergo monasterium pergendum illis est, qua etiam se lege, ut primum ordinem sunt ingressi, obligarunt; si vero uni se monasterio addixerint, nunquam eodem secessuri, habita diligenter loci, superioris, & hominum, cum quibus vivant, ratione: an hoc suppresso sine speciali absolutione vota soluta sint? quæstio est princeps, quam prægnantibus ex causis adfirmare audeo.

§. VII.

Quin ad auctores provocem, quorum sententiae ius scholæ obtainuerunt, sola ad decidendum quæstionem propositam, opus esse puto explicatione legis naturalis, quam ut bene intelligamus, ante oculos habenda est natura humana, quam probe contemplari, ejusque jura discernere oportet, antequam aut statuendum aliquid, aut controvertendum sit. Hac ratione, contemtis argutiis, quæ humanae menti

7

menti caliginem obsundunt, clarior se se ostenderet veritas, naturae consentanea, & se ipsa rapiens in ad sensum, quum sola evidentia in interpretandis naturæ legibus dux esse hominibus debeat, ni agi in perversum velint.

Lex, qua ad vota servanda obligamur, naturalis, adeo que ex fontibus naturalibus dijudicanda est. Hi sunt: a) finis votorum, b) conditio &c. c) tempus probationis, quo cunctas hasce circumstantias nosse licet, & penitus inspicere antequam professio edatur; quibus omnibus cessantibus, vim votorum adeoque & vim legis cessare oportet. Evincam autem horum omnium apud monialem suppresso monasterio suo extare amplius nihil: & quidem 1) ex ipsa natura rei; 2) ex legibus; 3) ex sententia doctoris Ecclesiae: 4) ex constitutione unius e successoribus Apostolorum, dein ad aliquas adversariorum objectiones refellendum digrediar.

§. VIII.

Finis, ob quem se votis Virgo obstringit, est, ut consiliis evangelicis obtemperet, quæ maiorem suadent vitæ, morumque perfectionem: at enim non est leviuscula res exuere se bonis omnibus, nihil habere proprium, nullo jure uti, neque nativo quidem libertatis, nunquam facere, quæ velis, sed quæ debeas, & supprimere instinctum vehe-

men-

mentissimum, quo sexus in sexum fertur; non id ubique licet, neque quo in statu verseris, alibi enim adjumenta invenies, & alibi impedimenta offendes. Quæ igitur majoris perfectionis causa consilia evangelica exequi vult, pri-
mum omnium ordinem sibi aliquem deligit, in quo maxime præsto esse media credit, quibus ad hanc perfectionem emitatur, quoniam etsi ordines omnes vota imponant, non eadem tamen media offerunt ad illa servanda. Ordini igitur electo mancipat se se, neque obligari in alio voluit, neque credidit ad hanc perfectionis metam pertingere pos-
suisse; quare deficientibus mediis, quæ ordo ille obtulit, obligatio ipsa sublata est.

§. IX.

Electo ordine de loco etiam sollicita est, in quo per-
fectionis hujus studio vacet, non enim quodlibet monas-
terium hunc in finem æque commodum est, & multum re-
fert nosse ingenium loci, hominumque, cum quibus agas;
ad certum igitur, destinatumque monasterium animum ad-
jicit, hoc intra se claustrum abdi vult, huic abbatissæ pare-
re, his exemplis adjuvari, his monitis confirmari, cum hac
hominum societate vitam lucere una & diem suum obire,
quoniam hoc monasterio, exesse debeat. Huic pudorem, hinc
casti-

castimoniam suam concredidit, in hoc tutam se duxit ab
insidiis, quarum vita communis plena est, & quibus se ex-
pedire per secessum religiosum voluit. Sicut autem re-
rum ad mores pertinentium omnium, ita votorum quoque
natura exigit, ut, ubi judicium de iis fieri debet, exacte per-
pendantur singula, quae cum iis connexa sunt; existimandu-
m ergo est, deleta esse vota, si deletus sit locus, in quo
ipsi subjecta esse voluit, si claustrum effractum, si abbatisa,
cui obedientiam spospondit, ad aequalem sortem redacta, si
communio bonorum soluta, ob quam omnium rerum in-
ops fuit, si denique conditiones omnes sublate, propter
quas sea cessit libertate. Nihil igitur tam est naturale,
quam ut & pristina libertas, & omnium jura communia
redeant.

§. X.

Vitæ demum religiosæ tyrocinium sibit expertura:
num sibi ita convenientia omnia, & singula hujus monasterii
instituta, ut vota mox edenda exequi possit? quo tempore
omnium caute periculum facit, an, qua ratione cepit, per-
gere vitam queat? differre enim solent in monasteriis sin-
gulis domestica instituta, & esse in victu, & habitu, & in
moribus hominum ipsis disparitas. Subinde disciplina est

B

Iaxior,

Iaxior, subinde rigidior pro ratione ingeniorum, loci-
que, & prout mos & consuetudo tulerint, quibus omni-
bus adsueisse ab initio permagni resert. Hoc autem ge-
nus loci, virtus, disciplina, hominum postquam satis ex-
perata sibi esse congruum duxit: vota emitit, quæ si aliena
omnia invenisset: nunquam sua se libertate, suis bonis, &
juribus abdicasset. Sicut itaque horum omnium diligentia
ratione inita votis suis obligatur: ita cessat e contrario hac
obligatio, si vel omnino non sint, vel aliam induant natu-
ram; quem enim aliud in finem vitae religiose rudimenta
poneret.

§. XI.

Veritas est in universum recepta, cessare obligationem,
si in eum incidat casum, a quo incipere non potuit; destruc-
to autem monasterio votorum in eo emittendorum copia
non est, adeoque &, quæ emissa in illo fuere, amplius non
valent; inopinatus enim hic casus, si existisset ab initio, in-
valida reddidisset; nam ut ut illimitata sint: tacitam tamen
conditionem involvunt, fieri ea posse, quæ voventur. Sed
extincto monasterio integrum porro non est votorum lege
vivere; cui enim praestet obedientiam monialis, si abbatissa
nullo in illam superioris jure uti queat? quam incongruum
est

II

est votum paupertatis communione bonorum rescissa? quam
difficilis omnino continentia redeunti ad communies insidias,
pericula, illecebras.

§. XII.

Monialis, dum vota emisit, in mente non habuit de-
structionem monasterii sui; edidit, quia in illo & discipli-
na & votorum perpetua semper conjunctio fuit, & sup-
pressionem hanc si suspicari potuisset, hac se religione ne-
quaquam onerasset; adeoque in casum suppressi mona-
sterii neque emisit, neque vota emittere voluit. Quemad-
modum ergo hunc in casum defuit se obligandi voluntas:
ita quoque certo certius præsumi potest, Deum ter Opti-
mum, qui corda, & renes scrutatur, eatenus vota non ac-
ceptasse.

§. XIII.

Primitiva denique, & originaria monasteriorum con-
stitutio, & de ortu illorum, historia ostendit, præcipuum,
primumque cœnobitarum votum fuisse obedientiam. Hac
de cauſa in solitarios se recessus abdebant, ut sub obedien-
tia, & ex certarum legum præscripto viverent; conciliari
autem cum hoc vitæ genere non poterat & familiae, & pro-

12

lum cura: aliud subinde voluisse uxor, aliud domestica instituta, & superior præcepissent. Ne igitur dissensiones existarent, necesse erat exigere a cœnobitis continentiam, sine qua ne promta quidem obedientia præstari potuisset. Qua de ratione & privatis facultatibus, & usu earum interdictum illis fuit, illæ enim, quum subditos reddidissent inæquales: solvissent disciplinam, otium aluisserent, æmulacionem, invidiamque incendissent, & litium fecundam materiam subministrassent. Ex quibus liquet continentiae, & paupertatis vota consecratio fuisse obedientiae, & ex ea, tanquam e fonte derivari. At vero, si abbatissæ, cui ut obediret, se jurejurando obstrinxit monialis, nullo jam amplius superioris jure gaudeat: soluto obedientiae voto solutam simul esse oportet, tanquam consecratio, paupertatem, & continentiam, quum sublatu principali ea quoque tollantur, quæ accessoria sunt.

§. XIV.

Probavi hactenus, & sat validis argumentis evicisse putto, suppresso monasterio ex ipsa rei natura deleta esse vota, videndum nunc, quid hac de re leges statuant: & quidem ex argumento cap. 5. de statu monachorum, quod sic habet: "Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo
"est

"est adnexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus
Pontifex licentiam indulgere possit. Verum, si suppressum sit monasterium, in quo secundum præscriptum regulae vacare aliqua virgo perfectioni religiose voluit, cessat illa regulæ cum votis non separanda connexio, ergo & votum, quoniam ablato connexorum uno auferri etiam alterum jam ex ontologia constat. Cui sententia suffragatur etiam D. Thomas, dum ait, "materia voti notabiliter mutata obligationem ejus cessare.

§. XV.

In eamdem quoque descendit Episcopus Mantuanus in litteris pastoralibus, quas suppresso in sua diecensi Carthusianorum monasterio publicavit, & ex italico germanas factas, quod præsentem quæstionem attinet, latinas reddam, ubi "centimus itaque, ait, emissæ a vobis esse vota vestra solemnia, tantum a subditis indigenis, aut in subditorum numerum receptis, sub conditione quadam interna: supponunt enim existere ordinem vestrum, & regulas, quapropter nec dubitationem quidem reliquam putamus, quin facto hoc solo vota vestra, etiam absque speciali indulgentia irrita & omnia obligandi vi soluta sint.

B 3

§. XVI.

S. XVI.

His adductus rationibus arbitror exstincto monasterio, cui uni se mancipaverat monialis, per actum suppressionis ipsum vota solvi, quod eo magis contendam, si præter suppressionem ejusdem ordinis in diecessi extet nullum, parum enim cenobiales juvat, denturne ejusdem ordinis extra diecessin monasteria alia, ad quæ adspirare nullo jure possunt, neque cogi debent, ut secedant in aliena. Eodem igitur ferme cum illis modo agitur, ac si ordo universus extinctus esset.

S. XVII.

Varia sunt, quæ contra jam dicta passim inferri solent, primumque adversariorum argumentum videtur in eo positum esse, probe discerni a regulis debere vota, illas enim suppresso monasterio abolitas esse, sed de his judicandum fecus, nuncupata enim fuisse Deo, & reddi saltim in substantialibus posse ubique, quare & solitum summo Pontifici moderno esse, ut eorum specialem indulgentiam largiatur.

S. XVIII.

Habet quidem id ipsum argumentum, quo prima fronte imponat, sed discussum penitus, facile est convellere; regu-

—

19

regulas enim, & vota spectare oportet tanquam unam individuam rem, sociatam sibi arctissime, nulloque jure segregandam, ita, ut regulis non existentibus suam quoque obligandi vim vota amittant, quoniam, qui ordini adscribuntur, has ipsas commodissimum sibi medium putant consequendo fini, ut videlicet consiliis evangelicis per omnem vitam suam obtemperent, consentire enim cum indeole sua, cum viribus animi, & corporis solas arbitrantur, neque obligari alio in ordine voluere, (§. VIII.) neque crediderunt ad perfectionis evangelicæ metam pertingere posse.

§. XIX.

Demonstrant id quoque solemnes professionum formulæ, quæ plerumque tales sunt: "Voveo, ac promitto Deo omnipotenti, Beatae Mariae semper Virgini, beato Patri N*, omnibus Sanctis, & tibi Pater, vel Abbatissa, per totam vitam observare regulam ab N. Papa confirmatam, vivendo in obedientia, paupertate & castitate. Promitit itaque vovens, observaturum se, quoad vivit, ordinis, quem ingressus est regulas nullasque alias, atque sic satisfacturum votis,

§. XX.

§. XX.

Quodsi aliqua religiosis a votis emissis incumberet obligatio, suppresso suo, in alieno monasterio servandi vota, (secus enim profectio nec paupertatis, nec quod præcipuum est, obedientiae servari nequeunt) & possent, & deberent compelli, ut in aliena se reciperent, id quod nemo contendet, neque Pontifex in una aliqua suppressionis bulla præcepit, sed liberum monialibus moguntinis reliquit, recedere in alia, nec ne. Confirmat id ipsum conclusum per unanimia Reverendissimi Archiepiscopalis Vicariatus Moguntini de 13. Decembr. 1784. verbis sequentibus: "Si suppressorum monasteriorum inquilina, quam vota pronuntiavit, intentionem suam explicite aut implieite ad locum professionis emissæ restrinxit; censemus illa a tempore monasterii extincti nullam se ipsis obligandi vim habere.

§. XXI.

Pronum ex his omnibus fluit, sublatis mediis sublatam quoque obligationem esse ad consequendum finem, & qua ratione expediendum, quod plerumque injicitur, posse in substantialibus vota servari ubique, etsi suppresso cenobio cogi monachi non possint, ut secedant in aliena, neque vi
vere

vers ex praescripto regularum; quæstio enim de eo non est: quid fieri possit, sed quid debeat? fieri autem non debet, nisi quo se obligarunt religiosi, quum vota emitterent; obligarunt autem se juxta discretissima professionis verba ad servandum vota vivendo in ordinis sui regula tanquam medio ad hunc finem quam maxime opportuno. — Suppres-
sa igitur una cum monasterio ordinis sui regula, nulla por-
ro, quæ illo existente, ipsis obligatio incumbit.

S. XXII.

Aequo parum efficiunt, qui ex illo curialistarum prin-
cipio arguant: "quod solemnis professionis actio promissio-
nem Deo factam præ se fecerat, superiores vero unius, alte-
riusve ordinis nihil esse aliud, nisi viam, ac medium, per
quod illa transit, sint enim medium, sed sine quo non.
Sic male profecto Benedictinus quilibet adquiesceret, hac
a de ratione Capucinus fieri deberet.

S. XXIII.

Alterum adversiorum argumentum, quod proposi-
tam de successione quæstionem directe quidem non tangit,
concedit, suppresso monasterio deleta esse obedientiæ, &
partim etiam paupertatis vota, sed urget, manere illud coa-

C

tinen-

tinentia, & licet non solemnis, simplicis tamen voti obligationem habere. Sermo hic de Presbyteriis antea religionis seu constitutis in majoribus non est, quos, et si nulla amplius voti religio, praeceptum tamen Ecclesiae continentest esse jubet.

§. XXIV.

Sed videamus, quid roboris illato argumento tribendum sit? qui se ordini addicit, vota ordinis pronuntiat, neque aliud quid ab eo exigitur; est autem inter vota ordinis non simplex, sed solemne continentia conjunctum cum paupertate, & obedientia, quae religiosum constituunt; plurimum enim differt, quae moderna est rerum facies, continentem ex voto esse intra septa monasterii, aut extra illa, nec probari aliqua ratione potest illum, cui constitutum est ab ingressu ordinis vovere continentiam, deliberatum quoque habere extra monasterium vivere segregatum a consilio sexus, hoc enim vita genus a communi vivendi consuetudine abhorret, neque est seculi nostri, extra coenobia, consilia evangelica observare, & medium quandam induere religiosi, profanique formam. Et sane, si exploranda esset eujusunque monachi, & seminarum praecipue mens, an, quum se ordini dederunt, maluerint in monasterio consu-

mere

mere vitam," aut esse extra illud cum simplici voto continetiae? quam illi omnes procul abs se ejusmodi votum vellent!!!

§. XXV.

Si qua se semina in monasterium abdit, prasumi in universum potest: velle illam duntaxat hos intra parietes inuptam esse; hac enim ratione satis salva a periculis est, & nisi sibi in communi hominum consortio ab illis timuerit, etiam absque voto, ceterisque monasticae vitae incommodis celibem agere vitam potuisset: veuent itaque religiosi omnes in sensu disjungente, & vel solempne continetiae votum edunt, vel, nisi huic monasterio suppresso sit locus, nullum, quoniam extra illud fluctuare in communis vita periculis nolunt.

§. XXVI.

Nec tamen contendarim, dari a communī regula exceptionem, fierique posse, propositum sibi subinde habere aliquem, etiam extra monasterium celibem ducere vitam, non firmam tamen crediderim horum hominum voluntatem, sed velleitatē potius, neque hanc seriam; multo minus dici votum potest; dabo insuper vovisse unum aliquem

C 2

con-

continentem vitam, quomodocunque se res monasterii sui habuerint: specialis hic casus conscientiae est, in separato ponendus, neque decidendus ex rationibus, quae meam quæstionem tangunt; obligatur enim ille, quoniam id sibi obligationis-lubens imposuit. In eo itaque versari antagonistarum error videtur, quod spectent, que esse aut fieri possunt, non ea, que revera sunt, cum omnes tamen juris Canonici doctores, & theologi, ubi de votis sermo est, consentiant, dispiciendum esse, non quod vovens promittere potuisset, sed quod revera promisit.

XXVII.

Objici autem posset: moniales obligare se voto paupertatis, quoniam illi monasterium largiretur, quæ ad usum, cultumque corporis opus haberent; sed suppresso etiam monasterio solvi illis ex ejusdem bonis annuam pensionem, quæ vitae necessitatibus sufficiat, adeoque valere, quod emiserunt, paupertatis votum, et si non tamquam solemne, saltem tamquam simplex; verum 1) jam satis differui §§ XXIV. & XXV. super differimine simplicita inter & solemnia vota ejusmodi personarum. 2) anno quidem victui sufficere illa pensio potest; sed non illis vitae commoditatibus, quas omni cura vacuas in monasterio habuere. 3) non renun-
tiarunt

tiarunt facultatibus suis in casum extingendi monasterii,
quæ res adduxit immortalis memoriae Clementem Gang-
nellum¹, ut exstincto Ordini Jesuitarum copiam faceret,
quascumque hereditates capiendi, prout revera Jesuitæ com-
plures, gaudentes pensione sua ejusmodi sibi adquisiverunt,
quos inter jam memoratus Falkensteinus Moguntiæ iocum
habet.

§. XXVIII.

Satis mihi probasse videor ex rationibus in medium
allatis, & dilutis adversariorum argumentis exstincto mona-
sterio aboleri quoque monialium vota. quare, neque necel-
fariam censeo absolutionem, quam petere, & impetrare ali-
qua posset; quæ si & peteretur, & daretur, auctoritativa
potius declaratio est de cessatione obligationis ab Ordinario
facta, ut partibus rei forte minus gnaris pristina libertas au-
thentice intimetur, & forma juris obseretur, obligatio ta-
men non a die hujus declarationis, sed suppressi monasterii,
quo voti ratio, cessat.

§. XXIX.

Neque dubio locus est, fieri hanc declarationem ab Or-
dinario posse, nec Romæ petendam esse, sublata enim sunt

63

impe-

impedimenta omnia, vota se ipsis exspirarunt, ad quid ergo romano hoc itinere opus? ad hanc sententiam juris Canonici Doctores, & Theologi omnes recentiores accedunt, quos inter unum adlegabo P. Schwarzhuber pag. 637. §. 197. Manualis practico-catholici ex speciali mandato reverendissimi sui Archiepiscopi in lucem editi, ubi regulas practicas pro votis prescribit, dicens: In zweifelhaften Fällen, oder auch wichtigen das Seelenhell betreffenden Ursachen, können auch die Bischöffe (nach dem neuen Kirchen-Rechte war dieses bei gewissen Gelübden blos dem Papst vorbehalten) wenigstens legal erklären, daß die Materie des Gelübdes mit Rücksicht auf die Umstände der gelobenden Person entweder niemals das Gott angenehmere Gut gewesen ist, oder daß es nach veränderter Lage der Sachen aufgehobt habe, das bessere zu seyn. Viel glaubwürdiger aber haben die Nachfolger der Aposteln Kraft der Schlüssel-Gewalt von Christo die Macht erlangt, auch dergleichen Bande, wenn sie und zum Fallstricke der Seele werden, aufzulösen, und hiemit in den Gelübden formlich zu dispensiren, oder sie nach Gutbefinden in eine andere angemesseneren Verbindlichkeit abzuändern." In casibus dubiis, & ex causis prægnantibus etiam Episcopi legaliter saltim declarare possunt secundum recentius jus Canonicum enim id certis in votis

"votis Pontifici reservatum erat) materiam voti in ordine
 "ad relationes personar. voventis vel nunquam fuisse bonum
 "Deo gratius, vel esse desississe rerum facie immutata. Multi-
 "to probabilius successores Apostolorum in virtute clavium
 "a Christo potestatem obtinuerunt ejusmodi vincula solven-
 "di, si illis tamquam laqueis animae irretiantur, vel commu-
 "tandi in obligationem, quam moderno statui congruentio-
 "rem esse arbitrantur.

CAPVT II.

DE

SUCCESSIONE MONIALIVM, QVARVM VOTA SUP- PRESSO MONASTERIO SVELATA SVNT.

§. XXX.

Commonstravi jam satis, exspirasse vota monialium
 suppresso monasterio, petitamque dein, & impetratam abso-
 lutionem non esse, nisi declarationem: illa ab ipso suppres-
 sionis die nullam porro obligandi vim habuisse; quoad ef-
 fectus igitur civiles quæstio inde emergit momenti maximi,
 an monialis ejusmodi voto paupertatis, quo præcludebatur,
 per suppressionem monasterii soluta jus pristinum conse-
 quatur obeundæ hereditatis, ejusque portio a propinquis
 occupata jure redire ad illam debeat, quoniam ratio occu-
 pandi,

pandi, votum monialis, a die extincti monasterii non amplius existebat?

Hoc in casu disquirendum mihi est

- 1) quid censendum de hereditatibus, quas exsidente adhuc monasterio, & valente regula percipere potuisset?
- 2) Quid de illis, quae post datam absolutionem sive dispensationem ad illam pervenire?
- 3) Quid de illis demum, quae tempore intermedio, quo monasterium quidem suppressum, votorum tamen indulgentia seu dispensatio concessa non fuit? & denique quid judicandum, si
 - a) tum temporis ab intestato in illam devoluta hereditas, aut si
 - b) in testamento paterno præterita sit, patre illam ob votum paupertatis adeundæ hereditatis incapacem credente?

§. XXXI.

Valere autem abolitionem votorum monasterio suppresso, non quoad effectus tantum ecclesiasticos, sed & quoad civiles dubium non est; Ecclesia neminem, qui vota suscepit, aut bonis suis spoliavit, aut deturbavit juribus; is ipse autem convenientius sibi vitæ genus in Ecclesia ample-

XII5,

—

25

ius, renuntiavit bonis, & juribus suis; quodsi genus vitæ
rerumque in illo concurrentium status dissolvatur, locum
non habet tritum illud: ad renuntiata non datur amplius re-
gressus; sed renuntiatio nulla est, & pristina redeunt jura.

§. XXXII.

Consecutaneum inde est, illas hereditatum portiones,
quæ post declarationem auctoritativam monialium beneficio
vacuae sunt, jure optimo ab illis occupari, sicut & contrario
jus nullum ad eas habent, quæ salvo monasterii statu, & re-
nuntiatione valida transire ad illas potuissent; heredes enim
qui illas interdum adjecerunt, possessores sunt jure ex alterius
valida renuntiatione quasito, quod nemini absque suo
facto secundum axioma juris vulgatum auferri potest. Le-
gitime igitur & ullo absque errore delata a defuncto hæc
portio fuit rite ab iisdem acquisita, adeoque nec adimenda.

§. XXXIII.

Verum si tempore inter suppressum monasterium, ob-
tentamque dispensationem medio transit ad monialem he-
reditas, cuius sibi copiam propinqui fecerunt, quoniam
jure exclusivo pertinere illam ad se arbitrati sunt?

D

Quoniam

Quum suppresso monasterio secundum totum cap I. aboluta sint vota, & facta illis renuntiatio sublata, neque opus fuerit dispensatione, qua ipsa tantum formalis rei non existentis declaratio fuit (§§. xxviii. & xxix.). Redeunt cum exspirante renuntiatione, etiam absque illa declaratione, omnia pristina monialis jura, & rite illa consequitur quasunque ad se transeuntes hereditatum portiones. Qua de re Torré de paciis futuræ success, Lib. 2. cap. 25. nro. 95. ita differit: ulterius queri potest, vtrum professus in aliqua religione per suppressionem ejusdem religionis redeat ad bona renuntiata: & responde, quod sic, si agitur de bonis post suppressionem delatis. (a)

S. XXXIV.

Id ipsum majorem obtinet lucem, si perpendamus præcipuum monachorum votum fuisse obedientiam. (b) Huic accessit continentia votum, incongruum enim erat parere marito, & abbatissæ, & invenire, quæ vel huic, vel illi detectanda fuissent, cum quo & jungi oportuit illud paupertatis, si enim suæ cuique facultates manifissent: neque audientes se tam facile præbuisserint, quas fortunarum disparitas tantopere se jungisset. Non desit tamen hoc insti-

tu

(a) Torre Mantissa ad tractatum de paciis fut. success. c. 16, n. 14.

(b) Gonzaga Tellez ad leg. 7., qui Clerici vel matrim. contrah. possunt nro. 6. in fine.

tu monialis, esse parentum suorum filia; et si ab his semota debitas obedientiam praestare non posset, neque jura illa amisit, quae ex ipso sanguine proficiuntur, quod Gail filius deditus obi. 131. nro. 7. verbis: nam filius (vel filia) monachus licet per ingressum religionis patria potestate liberetur, jura suitatis retinet; inter jura autem suitatis principem locum obtinet jus hereditarium.

Quoad vetitum non erat monasteriis quacunque de mun ratione bona adquirere, fruebantur illa hereditario inquilinorum suorum jure, & renuntiatio voto paupertatis facta hunc involvebat sensum: nos singuli cedimus presentibus, & futuris bonis nostris, linquentes illa communitati, qua alimur; qua ratione portio hereditaria monachi, aut monialis ad monasterium transiit. (c) Interdictum deinde his communitatibus per sic dictas amortizationis leges fuit, hereditatibus inquilinorum diteſſere; sed nec inquilini ob necessariam status aequalitatem, votumque iisdem locupletari poterant, cuius rei fructum denique propinquai perceperere. Suspensa itaque his legibus suitatis jura, non extingueſſere, quoniam communitatibus tantum hunc adquirendi modum non filiis, aut filiabus familias verabant, si extra il las viverent.

Cessante igitur ratione, cur moniales votum paupertatis nuncuparent, communione nimium bonorum, & mona-

D 2

stica

(c) Ferdinand Harpprecht diss. tom. 2. diss. 75, de successione monialium nobilium renuntiatarum.

stica disciplina, si insuper filius, aut filia familias desinat esse monachus, aut monialis, quum leges amortizationis communitati tantum, non singulis jus hereditarium rescinderent, moniales suppressi monasterii in omnia suitatis jura, nullo tempore exstincta revertuntur, adeoque partem suam ex hereditate paterna consequuntur.

§. XXXV.

Speraverim igitur, nihil me dubitationis reliquisse, quo minus monasterio suppresso moniales votis solutæ, & quam cum germanis suis capiant partem hereditatis paternæ ab intestato relictæ. Verum tamen, cum communī consuetudine receptum sit, ut, ceu dotem, certam pecuniam summam monasterio inferant, æquum erit, illam ut ad massam hereditariam conferant, & subtrahi sibi a portione sua patientur; sed hac ipsa ratione locupletiores sunt, monasterio enim suppresso negari illis actio repetenda dotis æque ac parum poterit, atque mulieri, si absque culpa sua illam inter & maritum divortium fiat.

§. XXXVI.

Supereft disquisitioni mæ casus, si pater suppresso monasterio, ante tamen dispensationem, seu declarationem auctoritativam testamentum condidit, filiamque paullo ante monialem hac declaratione nondum obtenta heredem non insti-

29

institutus, hanc impediens votis arbitratuſ; posſitne id testa-
mentum querela nullitatis impugnari? quod fieri poſſe vi-
detur, ſi monachos credamus juribus ſuitatis nunquam ex-
cidiffe: ſecundum enim pandectarum codicisque leges huic
querela locus erat, ſi pater filium ſuum præteribat: teſta-
mentum enim, in quo heredes ſui ſunt præteriti, vel non
nominati exhereditati, ipſo jure nullum eſt, non tantum
quoad hereditiſtutionem, ſed & quoad reliqua teſtamen-
ti capitulo. (a) Filiae teſtamento paterno præterita reſci-
dere illud querela inofficioli teſtamenti deſebant, emanci-
pati autem petere bonorum poſſeſſionem contra tabulas te-
ſtamenti paterni, (b) ſed ſecundum novellam iuris, qua anti-
quatum eſt omne filios inter, filiasque diſcrimen (c) præteri-
tio ſeu filiae ſeu filii, ſeu nepotis aut neptis teſtamento paternum
reddit nullum; (d) quare & credi poſſet teſtamento paternum in caſu ſubſtrato querela nullitatis impetendum eſſe, & quoad cuncta ſua capita infirmandum: qua de re
amen perſuadum mihi omnino non eſt, ſed ad credendum
addu-

(a) L. 17. ff. de inj. rupt.

(b) L. 4. cod. de lib. præterit.

(c) in verbis: "Sancimus igitur non licere penitus patri vel
"matri, avo, vel avia ſuum filium vel filiam, vel ceteros
"præterire, aut exheredes in ſuo facere teſtamento,
"niſi probentur ingratii, & ipſas nominati ingratitudi-
"nis cauſas parentes ſuo inſeruerint teſtamento.

(d) pr. f. de lib. exhered. L. 30. ff. de lib. & poſth. L. 1. D.
de inj. rupt.

adducor potius valere testamentum paternum; neque posse
præteritam petere nisi portionem suam dote deducta: ad
querelam quippe nullitatis pertinet, non fecisse unum ali-
quem, quod Leges jubent, quarum extar nulla, de filia ante
moniali; pater itaque illam testamento heredem non scri-
bens, quia monialem voto obligatam creditit, legem nul-
lam violavit, oporteret enim prius lege finiri questionem:
an extincto monasterio deleta sint vota, non vero contentio-
sis juris peritorum opinionibus controversi. Versabatur ergo
pater in dubio juris, quod perturbare illum in voluntate
presumta, & reliquis testamento capitibus mutationem in-
ducere haud poterat.

S. XXXVII.

Quodsi igitur verum sit, suppresso monasterio abolita
esse vota, & dispensatio consequita locum tantum habeat
declarationis formalis, revertaturque votis soluta, ad iura
sua pristina; verum quoque constabit ex his, que hoc in
capite deducta sunt, quod omnia adipiscatur iura heredita-
ria, & portiones a suppresso monasterio ad se transiuentes,
paternoque testamento post suppressum monasterium omis-
sa, seu præterita, suam tamen petere possit portionem.

THESES

THESES EX VNIVERSO IVRE.

EX IVRE NATYRAE ET GENTIVM.

- I. **A**equilibrium non est justa belli inferendi causa.
- II. Obligatio in legitimam liberos, parentes, & quandoque fratres instituendi juris civilis est, non naturalis,
- III. Legislator præcepta juris naturalis absoluti immutare nequit, bene vero hypothetici.
- IV. Nunquam lex positiva ad actus præteritos trahi potest.
- V. Datur potestas parentalis, utrique parenti naturaliter communis, quæ etiam se exserit in dubio circa religionem liberorum.
- VI. In casu collisionis præfertur patris potestas.

- VII. Fecundus inter gentes initum quoad obligationem suam
intrinsecam, & paclitiam exceptione laisionis, aut me-
tus infringi nequit.
- VIII. Sine pacto subjectionis, & sine lege fundamentali civi-
tas cogitari nequit.
- IX. Hinc suprema potestas civilis immediate a Deo non de-
scendit, sed germinat ex pacto mutuo designati impe-
rantis, & populi consensu initio de imperio gerendo, &
obsequio præstanto.
- X. Datur in civitate dominium eminens, vim tamen suam
non nisi intra sphæram, & quidem pro rata tantum ex-
tremæ necessitatis, & evidentis utilitatis publicæ ex-
ferens.
- XI. Capitulatio electi Principis, vi cuius ad certam regnan-
di formam se civitati obstringit, majestati nil detrahit.
- XII. Augere aliorum perfectiones, & imperfectionem ab iis
avertere est obligationis imperfectæ: non minuere
vero corum perfectiones est perfectæ obligationis.
- XIII. Primum aliquod juris naturalis principium vix datur.

XIV.

XIV. Pacata inter gentes licet metu bellico extorta sancte ser-
vanda sunt.

XV. Casu quo quis genti fidem datam frangit, alteri liberum
est vel fidem ei frangere, vel ad fractam fidem resar-
ciendam compellere.

EX IVRE PUBLICO IMPERII, ET
TERRITORIALI.

I. Ius Imperatorem eligendi est penes solos Electores.

II. Electoratus secularis vacans olim ab Imperatore solo al-
teri conferebatur, hodie vero Electorum consensu re-
quiritur.

III. Ius vectigalium & monetarium superioritati territoriali
non inharet.

IV. Electores gaudent præcedentia præ S. R. E. Cardina-
libus.

V. Voti comitialis qualitas ex Principis religione, & non ex
illo territorii dijudicanda est.

VI. Per aequalitatem art. V. §. II. P. stabilitam omnimoda,
& illimitata universalis intelligi nequit, sed necessario

intelligenda est ad formam, & leges Imperii, & principia cuiuscunque religionis exacta.

VII. Unio electoralis tam ad conservandam libertatem Ecclesiastiarum Germaniae, quam ad salvanda jura Imperii antiquissima nititur obseruantia,

VIII. Ius supremæ inspectionis præcipuum visitationum generalium fundamentum est.

IX. Elector ecclesiasticus, quamprimum electus, vel postulatus est, votum dare potest in electione Imperatoris.

X. Electores gaudent libertate, quem velint, eligendi, nisi hæc libertas legibus Imperii fundamentalibus, observantia, vel analogie sit circumscripta.

XI. Inde cognoscitur eorum libertas eligendi extraneum, & Clericum.

XII. Vicariorum Imperii potestas se extendit ad omnia ea, quæ conducunt ad salutem, & tranquillitatem Imperii publicam, etiamsi in aurea bulla expressa non sunt.

XIII. Ius reformandi novum est pars superioritatis territorialis, unde hæc regula certa est: omnis is, qui gaudet jure territorii, gaudet quoque jure reformandi.

XIV.

XIV. Ius reformandi Principibus ex usitata iactenus communi per universum Imperium praxi competens regula est; exercitum vero subditorum ad normam 1624. exceptio a regula est.

XV. Quid ergo de simultaneo innoxio sentiendum sit, clare patebit.

EX IVRE CANONICO PVBLICO.

I. Concordata Nationis Germanicæ consistunt in pacto Ca- x
tum II. inter, & Henricum V. constituto, in concordatis Principum & Aschaffenburgenib⁹ simul sumptis.

II. Concordata Principum vim regulæ, & Aschaffenburgen-sia exceptionis habent contra cl. Spitteli im Ödtingischen Magazin Hest 2, & 3 assertionem.

III. Concordata Aschaffenburgensia sunt strictissimæ interpretationis contra cl. Mohl editionem.

IV. Casu quo Concordata a Curia Romana lœduntur, lœso tum ad Imperatorem, tum ad Comitia Imperii, tam ad Collegium S. R. I. Electorum recursus jure patet,

V. Valet contra Concordata præscriptio, maxime in favorem Ordinariorum.

VI. Contra Concordata Germaniae ne minimum quidem præjudicium sine consensu Nationis Germanicæ permitti potest.

VII. Dignitates Ecclesiastice in Germania vi Concordatorum alternativa mensum non subjacent, neque S. sedi romanæ sunt reservatae, neque beneficia dubia, an in mense papali, an Ordinarii vacaverint.

VIII. Pontifex tenetur beneficia in curia vacantia intra mensam a die vacationis computandum conferre.

IX. Pontifici Romano vi primatus competit facultas mendi legatos in Germania, sed non nisi salvis Episcoporum juribus.

X. Novam in Germania nuntiaturam Pontifex introduce-re non potest, si per eam novum tribunal sit introducendum.

XI. Dominis territorialibus catholicis competit in subditos suos Protestantes jurisdicção ecclesiastica.

XII. Immunitas bonorum ecclesiasticorum potius ex beneficio Principum, quam ex ipso nature, vel divino jure derivatur.

EX IVRE CANONICO PRIVATO.

I. Contra sponsalia pura minorum non dari restitutionem in integrum haud probatur.

II. In dubio omnis beneficii collatio penes Ordinarium est.

III. Clericus forum suum prorogare nequit.

IV. Clericorum famuli privilegio fori non gaudent.

V. Ad causas a residentia legitime excusantes pertinet studium, & professio quacumque scientiarum, modo sint Clerico utiles, & convenient.

VI. Potestatem, quam Episcopi in Ecclesia habent, non a Romano Pontifice, sed immediate a Deo habent, & ea inter omnes aequalis est.

VII Legibus Ecclesiarum universalibus, licet etiam sint mere ecclesiasticae, obstringuntur omnes fideles, etiam summus Pontifex, & Episcopi.

VIII.

VIII. Horum tamen est in iisdem dispensare, si justa causa
relaxationem legis postulet.

IX. Ut ergo juste a residentia, quam leges ecclesiasticae
etiam in beneficiis simplicibus exigunt, dispensetur,
præter auctoritatem dispensantis causa canonica ut in-
terveniat, necesse est, qua cessante, data iterum cessat
dispensatio.

X. Consequenter præbendæ omnino liberæ non dantur,

XI. Ecclesiæ paciscendo se alii obligare possunt.

XII. Summus Pontifex non gaudet potestate absoluta, sed
subjecta est illi universalis Ecclesiæ.

EX IVRE CIVILI PRIVATO TVM ROMANO,
TVM GERMANICO.

I. Bonæ fidei possessio tenetur de jure communi fructus vir-
tualiter existentes restituere.

II. Mala fides auctoris nocet successori universalis, singulari
nec nocet, nec prodest.

III.

- III. Res Ecclesiae non modo immobiles, sed & mobiles ad præscriptionem tempus 40 annorum requirunt.
- IV. Remedium L. 2. C. de annali exceptione actionem re-cessoriam tollit.
- V. Liberis, & parentibus rite, sed inique ex hereditatis com-petit elective, vel querela inofficioi testamenti ex LL. ff. & C, vel actio ex novella 115.
- VI. Res pecunia nostra ab aliis emptæ nunquam fiunt nostræ.
- VII. Matri superstite debetur legitima ex bonis filii impube-ris, cui pater pupillariter substituit.
- VIII. Mulier non potest esse testis in codicillo.
- IX. Cautio ab usufructuario præstanda remitti potest inter vivos, non vero a testatore.
- X. In emphyteusi civili, celeri satisfactione mora non pur-gatur ad hoc, ut emphyteuseos caducitas evitetur.
- XI. Remissio caducitatis non præsumitur, si Dominus cano-nem simpliciter sine protestatione receperit.

**

XII.

- XII. Testamentum mulieris parturientis non valet, in quo
feminae testes adhibitae fuerunt.
- XIII. Licet contrahens cum pupillo sine auctoritate tutoris
vere obligetur, ipse tamen pupillus vicissim non obli-
gatur.
- XIV. Restitutio per viam exceptionis petita ne longissimi
quidem temporis prescriptione perimitur.
- XV. Judæi in regula communicant cum iuribus singulari-
bus in corpore juris civilis comprehensis.
- XVI. Annui redditus, legata annua, decimæ unica præ-
scriptione haud extinguntur.
- XVII. Unio prolium tribuit patriam potestatem,
- XVIII. Jus Germanicum utriusque parenti potestatem tribuit,
sed diversam a jure romano.
- XIX. Germani ignorant discrimen tutelam inter, & cura-
telam.
- XX. Jus germanicum, & praxis Imperii usuras ultra alte-
rum tantum admittit.

XXI. Fundamentum jurisdictionis patrimonialis nobilium
mediatorum in concessione Principis expressa vel ta-
cita nititur.

XXII. Testamenta immediatorum Imperii, quod formam
attinet, solemnitatibus juris romani sunt adstricta.

XXIII. Pro retractu consanguinitatis in Germania est präsu-
mendum,

EX IVRE FEVDALI.

I. Clerici in causis feudalibus curiae feudali subsunt.

II. Causae feudales non nisi ad curiam feudalem pertinent,
feuda sint intra, vel extra curtem sita,

III. Administratio feudi Imperii ecclesiastici sede vacante,
aut vasallo minore, aut impedito est peres Capitulum.


IV. Felonia a praelato commissa non nocet Ecclesiae.

V. Baculus, & annulus in collatione feudi clericalis nun-
quam pro spirituali potestate adhibiti sunt, sed innocua
feudi clericalis signa fuere.

- VI. Fili ex matrimonio ad morganaticam contractio nati
in feudo non succedunt.
- VII. Legitimatis per subsequens matrimonium successio in
feuda non est deneganda.
- VIII. Proximus heres feudalis, non vero allodialis habet
curam absentis vasalli.
- IX. In dubio quodlibet feudum præsumitur potius masculi-
num, quam fœmininum.
- X. Vasallus non est subditus.
- XI. Vasallo competit facultas subinfeudandi.
- XII. Exspectativa specialis non præfertur generali, si hæc
prior est tempore.

Erfurt, Diss., 1783-1801 I

X 238 6945



1788, 2
14

DISSESSATIO IN AVGVRALIS CANONICO-
IVRIDICA

DE
SVCCESIONE MONIALIS
IN HEREDITATEM PATER-
NAM MONASTERIO
SVPPRESSO

Q V A M
P. 365^a
VNA CVM COROLLARIIS EX
VNIVERSO IVRE
INDVLTV
ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA
ERFVRTENSI
PRO GRADV DOCTORIS
EIDEMQVE ADNEXIS PRIVILEGIIS ET HONORIBVS RITE
CAPESSENDIS

DIE XVI. AVGUST. MDCCCLXXXVIII.

ABSQVE PRAESIDE
PVBLICE TVERITVR

FRANCISCVS GODEFRIDVS
WÜRSCHMITT

EICHSFELDIACU· HEILIGENSTADIANVS,
PAROCHVS IN LOERZWEIL, INSIGNIS ECCLESIAE COLLEGIAFAE AD
SS. VICTOREM ET MAVRITIVM MOGVNTIAE CANGNICVS.

ERFORDIAE
LITERIS HENRICI EUDOLPHI NONNII, ACAD. A. TYPIS.

